



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXXVI. Expositus juratus ob nuptias educatoris filiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

debet, ego peccati pœnam. Sed quid si non pietati servisti, sed ut me occideres? quantum in te fuit, damnatus sum. Adfui, inquit, ¹ alioqui abdicareris tantum.

CCCLXXVI.

Expositus juratus ob nuptias educatoris filie.

² Quidam moriens adolescenti, quem pro filio educaverat, indicaturum se veros parentes pollicitus est, si jurasset se filiam, quam relinquebat, ducturum uxorem: Juravit adolescens: ³ ille decessit: post mortem educatoris, à naturali patre receptus, quia non vult orbam divitem ducere uxorem, abdicatur.

DECLAMATIO.

Abdicat tam cito? si non eram idoneus, non eram recipiendus. Tam exiguo tempore quid peccare potui? etiam si quid peccavi, ignosce: nondum novi mores tuos. Novitiis etiam servulis ignoscitur. Sed quid objicis? Uxorem, inquit, non ducis, quam volo. Quid tum? nescis nostri arbitrii esse matrimonia? Affectus nostri vobis non serviunt. Non potes efficere imperio, ⁴ ut vel amem quem velis, vel oderim. Matrimonium vero tum perpetuum est, si mutua voluntate jungitur. Cum ergo quæratur mihi uxor, focia tori, vitæ confors, in omne seculum mihi eligen-

¹ *Alioqui abdicareris tantum.*] *Ærodius*: Affui (inquit) alioqui. abdicareris tamen. Rectius Pithœus. Sensus: si non adfuisses, abdicareris tantum. non etiam responderes. nihil foret, cur recufares abdicari. *Gronovius*.

² *Quintilianus lib. 7. cap. 2.* Quædam in scholasticis controversiis ponuntur, ad conjungendam modo actæ rei ferriem: ut, Pater, expositum qui agnovit, solutis alimentis recipiat. Minus di&to audientem filium liceat abdicare. Qui expositum recepit, imperat ei nuptias locupletis propinqui: ille ducere vult filiam pauperis educatoris. Lex de expositis, ad affectum pertinet, iudicium pendet ex lege abdicationis. *Ærodius*.

³ *Ille decessit.*] Sup. pater educator. nam duxit, pro dixit, reponere omnino non possumus: cum ex sequentibus, & ex adducto illo à me Quintiliani loco, appareat, non id agi, ut eâ, quæ jam ducta sit, repudiata, orbam divitem ducat: sed pater unam ducere filium jubet, vult filius alteram. A ut vero ita legendum est, *Ille dotem dixit*: quantacunque videlicet à paupere educatore dici potuit. *Ulpianus tit. de dotibus*, Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur, &c. *Cicero pro Flacco*, Quæcunque sine tutore auctore dos dicta est, nulla est. *Idem*.

⁴ *Ut amem, quem velis.*] Immo quam velis. *Gron.*

eligenda est: alioqui quid proficis invitum cogendo? repudiabo. ¹ At enim, inquit, lege cogeris orbam ducere. Quid? tu illius patronus es? sine me illi respondere. Si potest, lege illa cogat: interim noli mihi patriam majestatem opponere. Sed nimirum non potest cogere, & ideo non cogit, alioqui forsitan illi responderem, ² non habere orbam privilegium, sed vacuis, inducere nuptias non occupatis. Quid ergo, inquit, orbam non ducis? Gaudeo, pater, quod misereri fortunæ potes: & hæc orba est, & hæc patrem perdidit. Fortuna similis, indulgentia propior est. In eadem domo educati sumus? novi mores, probabo vere-

¹ At enim (inquit) lege cogeris orbam ducere.] Quintilianus lib. 7. cap. 5. Huic parti subjungit Virginius causas abdicationis, dementiæ, malæ tractationis, orbam nuptias indicentium. Lex fuit Athenis, qua utroque parente orbata, cui opima & opulenta successio evenerat, eam, ut ordinum dignitas familiarumque salva esset, proximus agnatus, aut cognatus ducere cogeretur: lex item altera, ut si qua indotata & egens orba esset, eam aut uxorem ducerent agnati & proximi, aut dotatam alii collocarent. Quem morem conqueritur Aristoteles lib. 2. Politic. cap. 7. suis adeo temporibus vix observari, & orbam cui-libet jam, neque ex lege collocari. Gr. ἐπικληρὸν ἢ ἐπικληροῦσις appellatur. Demosth. κατὰ σέφους, ὁ νόμος κελεύει ἐπιδοῦσιν εἶναι ἢ ἐπικληρῶν ἀπειρῶν ἢ ξένων ἢ αἰσῶν. & postea, ἢ ἐπικληρῶν ὅσα τὸ θνητὸν τέλος εἰναι, ἢ μὴ βάλῃ ἔχειν ὁ ἐξυπέρβουλος, ἐκδοῦσιν ἐπιδοῦσι, &c. Terentius in Phormione,

Lex est, ut orba, qui sint genere proximi, Eis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam, &c.

Item act. 2. sc. 1.

Verum si cognata est maxime

Non fuit necesse habere: sed id quod lex jubet,

Dotem daretis: quæret alium virum.

Qua ratione inopem potius ducebat domum?

G. Non ratio, verum argentum deerat, &c.

Ex his apparet cur Virginius has causas orbam nuptias indicentium, materias officiorum appellaret. Hic vero juvenis abdicatus respondet, se ab orba illa divite cogi non posse, vel quia proxima non esset, nec generis ejusdem aut familiaris: vel quia si orba id ex lege possunt, non tamen inter eas, una majus altera privilegium habet: hic vero utraque orba est, licet non ambæ divites. nec si privilegium habent, eo adversus eum utuntur, qui jam alii mulieri pactus est, aliisque nuptiis occupatus: qualis hic est, fide jam maritus & sacramento. *Ærodius.*

² Non habere orbam privilegium, sed vacuis.] *Ærodius: sed agnatis indicere. Præclare indicere.* Reliqua ita sunt concinnanda, ut aut deleatur particula negandi, aut pro *sed* scribatur *nisi*. Utroque enim modo constat sensus, qui requiritur. Non habere orbam privilegium, nisi vacuis, indicere nuptias. Et, responderem, habere orbam privilegium, sed vacuis, indicere nuptias, non occupatis. Et hoc posterius magis placet. Fortasse & malis indicendi. Gronovius.

bo verecundiam, probo genus. Quid si mihi à patre commendata est? quid si rogatus sum? quid si etiam juravi? vis me fidem non præstare? & cui? qui me sustulit, qui patrem egit, qui te mihi patrem dedit: quemadmodum rogavit, non est quod dicas. Ego cogo: æque tamen pejero. Et quales futuræ nuptiæ, quæ perjurio junguntur?

S E R M O.

Ultima comparatio puellarum: illam esse divitem, facile inventuram maritum: hanc, in totum destitutam: & nunc vero orbam, si eam hic quoque deserat? referendam esse gratiam expositos colligentibus.

CCCLXXVII.

1 Vocatus à patre in militiam, venenum terens.

PARRICIDII SIT ACTIO. Pater filium in militiam vocavit, ille ornatus donis ad patrem rediit, adhibitis amicis petit à patre, ne se amplius mitteret: non impetravit. Iterum fortissime pugnavit: rediit: terens venenum à patre deprehensus est. Interrogatus, dixit se mori velle. Parricidii reus est patri.

D E C L A M A T I O.

Parricidii reus sum. Quædam crimina ipsa magnitudine fidem non impetrant. Parricidium aliquando legem non habuit, nec immerito. Quis enim facile vinculis naturæ exolvat? Vos estis, qui nascentes excipitis. Itaque ad tantum nefas, magna oportet ferie parricida veniat, & per hominum Deorumque contemptum, ad ultimum nefas conscendat. Quid hoc est, iudices: maximum omnium reo crimen objicitur, & solum: non circumscriptus amicus: cessant etiam familiaria adolescentiæ crimina: & ne in scortis quidem reus male audio. Plus fortasse quam putatis, iudices, pollicebor: non quemlibet ex illis subselliis, sed accuratorem ipsum, laudatorem dabo: nunquam abdicavit. Quid ni non abdicaret? cujus non solum innocentiam, sed

1 Vocatus à patre.] Vet. cod. Locutus. Pithœus.